

FRID. — Concedite atque abscedite omnes; de via decedite; mala enim crux me exagitat! (*Ira concitus humili sternit candelabrum; cera Calogeri vestem inquinat.*)

CAL. — Loquere insuper et opereris audacter! Men piacularem quoque oportet fieri ob stultitiam tuam?! Videas vestimentum novum quam sordide foedaveris!

FRID. — Hui! Qui damna concivi, resarciam! Paucis vinaceae huius distillatae guttis, maculae omnes absterguntur! (*Ampullam in proximo abaco positam rapit, et quae dixit agere festinat.*)

CAL. — Quiescas atque bono ingenio tandem aliquando utaris. Lympha enim illa non est quam credis.

FRID. — Ecquid est igitur? Olfacias et persuadeas tibi. (*Ampullam, ablato obturamento, ad patris nasum adducit.*)

CAL. — (*Semel atque iterum cum fratre sternuit, et filio increpitans in conclave suum indignabundus, se recipit.*) Brevi per urbem solus sermo eris omnibus cum istis moribus! Sed ego insipientior, qui te curem!

FRID. — Vide quemadmodum abstitit! Redactus ne est ad insaniam? Huiuscmodi purum liquorem in omni Europa non inveneris!... Experire tu, hirce. (*Stasimi naso ampullam rustice submittit.*)

STA. — Ah! ah! ah! Animam mihi extinxisti! Occisissimus sum omnium qui vivunt! (*Sternuens et is recedit.*)

FRID. — Tu quoque... Brute? — Periculum igitur ipse faciam. (*Exequitur*) — Ah! Oh! Eh... e... etcè!... Ammonium... hy... dra... tum! (*Dum sternutatorum intra conatus agitatur, ingreditur AURIGA clamans: Ehus tu, quid agitur istic?* Tempus teritur pluitque immodice: vin' me aqua macerari?)

FRIDIANUS erga eum progreditur, ore tamen verso ne impediatur quominus li-

bere sternuat; dumque manu significare ei vult, ut taceat atque moretur insuper, inconsiderate et sub eius nasum tendit ampullam. AURIGA, non secus quam ceteri, hydrati ammonii effectus persentit, sternuensque se dat praecipitem. FRIDIANUS sic remanet solus; atque sperare licet fore ut inconditam vitae suae rationem meditatus, ad meliorem frugem tandem aliquando se recipiat.

FINIS.

I. F.

## MONITUM

*Plures socii sunt, quibus per hunc Aprilis mensis fasciculum annua defuit subnotatio. Eos enixe rogamus ut quo citius, novi anni pretium solvendo, subnotationem ipsam renovare satagant, eoque magis quod, contra, administrationis regulis obtemperantes, fasciculorum ad ipsos transmissionem interrumpere coacti erimus.*

*Quid autem illis dicamus, qui decadentis anni contractis, sive directe sive indirecte, nobiscum obligationibus nondum satisfecerunt? Scimus tristibus hiscierum in adiunctis a nonnullis regionibus non esse, ut antea, satis expeditas rationes ad exteriores pecuniam mittendi; at sunt ubique publici cursus per quos liceat ipsam tradere; sunt nummariae mensae apud quas obligationis chirographa pro Italia non recusantur. In rem igitur bonae voluntatis aliquid socii isti adhibeant oportet; quam certe nobis haud negabunt, dummodo labores et sacrificia nostra ad opus hoc ferendum ac perficiendum parumper consideraverint...*

ALMA ROMA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

## MONITUM

*Plures socii sunt, quibus per elapsi Aprilis mensis fasciculum annua defuit subnotatio. Eos iterum iterumque rogamus ut quo citius, novi anni pretium solvendo, subnotationem ipsam renovare satagant, eoque magis quod, contra, administrationis regulis obtemperantes, fasciculorum ad ipsos transmissionem interrumpere coacti erimus.*

*Quid autem illis dicamus, qui decadentis anni contractis, sive directe sive indirecte, nobiscum obligationibus nondum satisfecerunt? Scimus tristibus hiscierum in adiunctis a nonnullis regionibus non esse, ut antea, satis expeditas rationes ad exteriores pecuniam mittendi; at sunt ubique publici cursus per quos liceat ipsam tradere; sunt nummariae mensae apud quas obligationis chirographa pro Italia non recusantur. In rem igitur bonae voluntatis aliquid socii isti adhibeant oportet; quam certe nobis haud negabunt, dummodo labores et sacrificia nostra ad opus hoc ferendum ac perficiendum parumper consideraverint...*

ALMA ROMA.

De Alexandrinorum incerto animo in admittenda  
S. Ioannis Chrysostomi auctoritate<sup>(1)</sup>

Bonus erga Chrysostomum animorum sensus in diem manifeste apparebat, unde factum est ut Synesius episcopus Ptolemaeus, anno CCCCXI, quum amici cuiusdam Alexandri Episcopi, apud Theophilum patriarcham partes suscipieret, de nostro dicere non timeret (2): « Defunctorum fratrum memoria debito honore colenda est, cum vita autem similitates omnes desinere debent ».

Anno CCCCXII Theophilus vita cessit eiusque mors unicum atque insuperabile impedimentum evertit, cuius causa pax nunquam haberi potuit, praesertim quum Alexander Antiochenus, qui Chrysostomum familiarem habuit, Episcopus renuntiatus est. Nulla intermissa mora, nomen Chrysostomi iam defuncti, in diptycho inscripsit eumque illo habuit honore, quem Roma eidem a vindicando nunquam destitit (3).

(1) Cfr. num. sup.

(2) Epist. (66) ad Theophilum, P. Gr., 66, 1408-9.

(3) Haec conditio fuit sine qua non Innocentius I constantinopolitanos patriarchas in suam communionem receperit. PALLAD. Dial. 20, P. Gr. 47, 48. — THEODOR. HE, V, 34 (P. Gr. 82, 1264 D.). — MANSI, IX, 183.

Eius exemplum cito imitatores, eosque dignitate nobilissimos, nabuit, inter quos Atticus Constantinopolitanus, ut apud Socratem scriptum accepimus (1). Tandem ipse Cyrillus nepos ac decessor Theophili, omnium auctoritate coactus, ei, qui patrui victima ingemuerat, debitum honorem concessit (2).

Ex ea die sanctus Pontifex locum habuit inter graecae Ecclesiae doctores quem meritus est; id vero maxime notandum quod eius partes acerrime vindicavit acerrimus Alexandrinae Ecclesiae assertor, ipse Sanctus Cyrillus. Quibus in adiunctis Theophilii decessor coactus est (utique non hilari vultu) ad constantinopolitani doctoris auctoritatem asserendam.

Recentes vero simultates ex nova Nestorii Antiocheni ad constantinopolitanam sedem evectione ortae sunt, nec Alexandrinii nactam opportunitatem sua defendendi iura omiserunt.

Praesertim eo tempore quo Episcopus doctrina clarissimus nec non calliditate, sedem alexandrinam occuparet. Cyrillum dico, qui anno CCCXXX tractatum dogmaticum «*De recta Fide, ad Reginas*» (3) misit. Expositionem dogmaticam auctoritate Patrum confirmavit in quibus Athanasius, Theophilus, Atticus, Antiochus, Severianus (qui Theophilii fautores, Constantinopoli nomen sibi adepti sunt), una cum S. Ioanne Chrysostomo eluent (4). Quod, prima vice, aperte ac

publice in doctrinis dogmaticis excipitur.

Circa idem tempus commemoratio fit de Ioanne in «*suppliei libello Basili*» contra Nestorium (5), eamque theologorum enumeratio sequitur, qui eo tempore iam fato concesserant, uno Cyrillo excepto, a quo, suspicari fas est, libellum inspirationem sumpsisse. Eiusdem Chrysostomi auctoritas contra Nestorium adducitur tertia vice, quadam in Epistola quam Cyrillus clericis Alexandrinis sua legatione Constantinopoli fungentibus, misit. Ait enim: «Quid de se cogitat Nestorius? Credit ipse se Ioanne eloquentiorem vel Attico maiore intellectu praeditum?» (6). Argumentum vero non pollet; potuit enim Nestorius pie in Episcopatu se gerere quin Chrysostomi eloquentia claresceret.

Nestorius vero Cyrillum, corde sincero, in hoc negotio se gessisse non credit neque eum Chrysostomi amicum habuit ut ex sermone quem VIII Idus Decembres anno CCCXXX Nestorius ipse pronunciavit in Cyrilli laudem, facile comperimus. Ait enim: «Ioannem silentio praetereo, cuius nunc cineres adorando veneraris invitus» (7).

Serius, Cyrillus vehementer ira in Antiochenos exarsit qui suis anathematis constanter restiterunt, unde factum est quod ex eo tempore nullius Antiochenae Ecclesiae doctoris auctoritate fulciatur; verbi gratia, in *Apologetico*

(1) SOCRATES, HE, VII, 25 (P. Gr., 67, 793 A.). — De authentia epistolarum Atticum inter et Cyrillum dubium est. Vide ad hoc P. Gr., 77, 352-60. — J. STILTING, *Acta SS. Sept. IV*, 681-3. — TILLEMONTIUS, *Mémoires XIV* «S. Cyrille» art. 5.

(2) De cuius inscriptionis tempore nobis satis non constat; forsitan ante Innocentius I mortem anno CCCXVII ubique locorum iam peracta fuit. Vide BONIFACIUS I, *Epistola* (15) *ad Rufum*, PL., 20, 783.

(3) P. Gr., 76, 1212-17.

(4) Chrysostomi auctoritas hoc in tractatu bis adducitur; primo cum textu: 'Αὐτὶ δὲ ἡλίοι... τῆς φύσεως, secundo quum refertur: 'Ο ἐπὶ Θρόνου... ἐμπτλέκεται' (P. Gr., 76, 1216) ex homilia Chrysostomi de *Nativitate Christi*. (P. Gr., 56, 385-86 et 389).

(5) MANSI, IV, 1101 D.

(6) MANSI, V, 722; vide: C. HEFELE, *Conciliorum historia* t. II, 2<sup>a</sup> ed., p. 162, Freiburg 1875.

(7) FR. LOOFS, *Nestorianica*, n. XVIII, p. 300 Halle 1905.

*Cyrilli pro XII capitibus* (1), nec non in *Epistula ad Ioannem Antiochenum eiusque fautores* (2), in *Epistula ad Acacium Berrhaeum* (3), doctorum plurimorum nomina inducit, ut Petri Alexandrini, Athanasii, Gregorii, Basilii: sed de Chrysostomo ne verbum quidem. Qua ex re facile explicari potest eumdem Chrysostomum locum non habuisse in catalogo patrum qui concilio oecumenico Ephesino adfuerunt: hac enim in re Cyrilli auctoritas suprema habita est (4).

Doct. ALEXANDER AURELJ.

## Ad Iustini quosdam locos corruptos

Haud iniuria queritur Fr. Ruehl in sua Iustini editione (1) quod «nostris temporibus auctor mire neglectus sit»; eoque iustiorem ac veriorem querimoniam iudico et magis Ruehlianae sententiae astipulor quum fere per longum intervallum magna sit usus Iustinus auctoritate, eiusque *Epitoma* nec studio nec honore vel gratia caruerit, praesertim qua aetate litterae humaniores floruerunt. *Habent sua fata libelli*. Neque ego crediderim longius a vero aberrare, quum oblivionem in quam nostris temporibus Iustinus illapsus sit, et ipsius auctoris ingenio, parum nobili, et eiusdem summarii naturae atque rationi ascribendam censem. Quum enim nihil quasi de Iustini vita liqueat, tenuisque et exilis notitia, quam de eo accepimus, hinc illinc desumpta, vix solidis funda-

(1) MANSI, V, 28, 44, 81-82.

(2) Ibid., 412 A.

(3) Ibid., 1184 ss.

(4) Ibid., IV, 1416 C.

(1) Cfr. M. IUNIANI IUSTINI. *Epitoma Hi-*

mentis, quin imo coniecturis futilebus plerumque, nitatur; cumque autem opus historicum rhetorico colore fucatum considerare consueverimus, idecirco negligendum, ecquid mirum si, labentibus annis, Iustinus magis magisque in oblivionem ruat et eius scripta vix digna diuidicentur quae in manus sumamus? Atqui sub finem saeculi XVI non defuit qui in Trogi breviatorem magna admiratione permotus, quippe qui corpusculum mira arte confecerit, his laudibus eum prosecutus sit:

*Si cupis paucis plurima nosse,  
Lege hunc libellum, plurima nosces.*

*Quas scripsere alii per multa volumina terras,  
Et exterarum regna et arma gentium,  
Iustinus librum egregie contraxit in unum,  
Ut scalptor Orbem marmore effingit brevi* (2).

Sed non est hic locus quanam de causa unus et alter scriptor «maiore gratia ac studio fruatur», quum alter vero paene iaceat neglectus, investigare. Verba Ruehlii, quibus hanc disputacionem incepimus quibusque libenter annuimus, huic uni rei serviant, ut ingenia summopere excitent ad Iustini scripta pervolvenda. Eius enim recensio ea est quae, multis sane mendis critica ratione fugatis, quibus priores editiones scatabant, Iustum praeseferat politiorem, paene suum, et ut ita dicam, puriorem, ad fidem optimorum codicum renovatum. Iuvat hic afferre verba, quibus de hac nova editione Andreas Senekovic existimavit: «... die Iustinausgabe von Fr. Rühl, die sich unter allen der bisher erschienenen Ausgaben in vortheilhafter

*storiarum Philippicarum* P. Trogi. Ex recensione Fr. Ruehl, Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri, a. 1885.

(2) Cfr. FR. BENCI AB AQUA PENDENTE e soc. Iesu, *Carminum libri IV*.

Weise empfiehlt. Das kritische Material ist auf 33 Seiten übersichtlich und in einer die Orientierung erleichternden Form geordnet, in Gegensätze zur Jeeps Ausgabe (ersch. 1859) » (1).

Quum vero Rühliana editio prae ceteris longe emineat, utpote quae optimorum codicum lectiones, optimo sane iudicio, adhibeat, nec continuo conieeturis det locum — in quod vitium seu pravum morem nonnulli viri docti hodieque largius effusiusque illabi solent —, en habes aliquot locos quos egregius ipse editor, ut admonet in praefatione, nondum sanatos cruce signavit.

De his locis placet breviter nunc disputatione:

I. Praef. § 1: « Rem magni et animi et + corporis adgressus ».

Verbum cruce signatum « corporis » multis modis legitur. « Et animi et operis » habet ed. Duebneri, e conjectura J. Fr. Gronovii, qui hanc lectionem tuerit solidisque argumentis ab optimis scriptoribus petitis confirmat. — « Et animi et roboris » habet Madvig (II, 618); « et argumentis et corporis » Baehrens. Legerim cum Gronovio aliisque: « et animi et operis », eo magis quod auctoritas Livii subvenit, qui in prooem. his utitur verbis: « Res est praeterea immensi operis ut quae supra quingentesimum annum repetatur »; nisi quod, quum paulo post verbum « laboris » adhibeatur, una cum eodem « adgressus », forsitan conici potest eo loco pro « operis », « laboris » substituendum esse. Eadem enim est utriusque verbi vis: difficile quippe sit et arduum historiam universam complecti eamque ab origine prima rerum ad tempora scribentis perducere. Non solum hoc

opus suscipere magni animi est, sed etiam multum operis sive laboris exposcit. Ad abundantiam, autem, poteris nescio quid metaphorice dictum cogitare, ut « ponderis » illud Ciceronis respiciens: « maximi apud te ponderis, — magnum pondus », etc., idest « magni momenti ». Nonne enim est grave ac magni momenti opus aggredi quod totam rem prorsus absolvendam sibi proponat?

II. Ibid.: « Inter se gregata occupaverunt ».

Ita legit Ruehl, quamvis haud ignorat verbum « gregata » multifariam et in codd. et apud recentiores editores exhiberi. Ego autem malim adverbium « gregatim » restituere, quod iam codd. H G prae se ferunt quodque ab Iustini locutione non est alienum. Vide, sis, lib. XIII, cap. 8, 2: « Ad Antipatrum gregatim profugiebant »; quamquam nonnulli viri docti iam pro « gregatim » frustra « certatim » legere maluerunt.

III. Lib. I, c. 9, 13: « Ad favorem populi conciliandum tributa et militiam (vacationem) in triennium remittunt ». Ita Ruehl legit, uncinis verbum « vacationem » includens, utpote quod sibi damnandum videatur. Verum, alii, ut Faber, legunt « tributi et militiae vacationem permittunt »; Madvig pro « permittunt » habet « promittunt »; alii deinde aliter legunt. Si retinemus « remittunt », inutile est et inopportunum verbum « vacationem », quippe quod supervacanea accessio sit; si autem « permittunt » aut « promittunt » tueri volumus, quod est idem, legendum est: « tributi et militiae vacationem », etc. Quam postremam lectionem tantum praefero, quod paulo post haec verba sequuntur: « indulgentiae largitionibus », quae notio bene priori respondet. Si, ut facile est cuique Iustini Epitomam perlegenti animadvertere, similiter caden-

tes constructiones auctor diligit, ecquid mirum si hic « militiae vacationem promittere » invenimus pro simplici « militiam remittere? ». Namque poterat ipse, et breviter eleganterque, « tributa et militiam remittere » exhibere, ut paulo post pro « indulgentiae largitionibus confirmarent », poterat dicere tantum: « indulgentia (indulgentiis?) confirmarent » (1).

Sed eius est mos, ut in cogitatis enucleandis rebusque enarrandis interdum adhaereat nonnullis ambagibus dicendi eumque brevitatis amorem effugiat, qui praecipuus tamen est *Epitomae* ornatus (2).

IV. Lib. XI, cap. 8, 3: « In qua festinatione quingenta stadia uno die cursu fecit ».

Ita exhibet Ruehl, idest cursivis litteris verba uno die subiungens, in hoc usus facultate quam sibi ipse concedit (de quo vide praef.: « In textu litteris cursivis, quae dicuntur, exprimenda curavi quae invitis codicibus inserui » pag. XVII). Vere, additamentum hoc non valde mihi probatur, quum nulla sit causa, sive necessitas, huiusmodi verba inserendi. Potius, si quid praeponere vocabulo « cursu » volumus, praeponendum est adiectivum « citato », quo haud raro Iustinus utitur. En habes exempla:

(1) Verba haec: « Indulgentiae largitiones » Fr. Fischer in cap. XVII de Iustini pleonasmo disserens, inter eas locutiones refert « quae nullam quidem offensionis ansam praebent, sed tamen dignae memoratu videntur ». Cfr. *De elocutione Iustini*, Halis Saxonum.

(2) Nisi quod, cum in libro XXXVIII, cap. 3, 10 eiusdem *Epitomae*, haec verba occurrant: « Debita civitatibus publica privataque remittit et vacationem quinquennii concedit » quumque tota *Epitoma* Iustinus se ipsum saepe solitus sit repetere, nonnullasque habeat sibi locutiones cariores, quas usque ad satietatem ostendat (de quo alio

iuvabit videre), censeo ita posse locum, de quo agitur, in universum restitui, si eadem notio eisdem fere verbis aliquanto post occurrat: « Tributa remittunt et vacationem in triennium (sive triennii) concedunt ». Centerum, si hic figura, quae zeugma appellatur, servanda est — huius figurae, scil. zeugmatis, apud Iustinum haud pauca exstant exempla: I, 9, 13: « Tributa et militiae vacationem remittunt »; i. e. « Tributum remittunt et m. v. permittunt » (Cfr. FISCHER, loc. cit.) —, si alibi simplex tantum verbum « vacatione » occurrit, potest, ni fallor, ita legi: « Tributa et vacationem remittunt, id est militia seposita ».

(1) Cfr. *Jahresbericht des K. K. Staats Obergymnasiums zu Laibach*, durch den Director A. Senekovic, Laibach, 1894.

exercitui, quin imo Macedonum singulo, opponuntur.

VI. Lib. XII, cap. 2, 3: «Ita huic responsum Dodonaei Iovis urbem Pandosiam amnemque praedixerat fatales».

Ruehl «fatales» addit, cum I. Ieep fatalem habeat, et Pelerinus cavendum. Non nego quin «fatales» felix supplementum sit, quod naturaliter e contextu verborum ipsorum exposcit, quem contra veteres edit., pauca sane sensus perspicuitate, verbo «praedixerat» hic terminentur. Sed quum paulo ante «insidias» occurrat, nonne potius erit «insidiari» verbum supplere, eo magis quod scimus Iustinum non effugere repetitio nem, imo etiam artificiose exposcere, et quasi verbis inter se certantibus iocari? Nonne, paulo post, in eodem capite «ad declinanda fatorum pericula» et «urbis fato», idest bis verbum, et modico sane intervallo, «fata» invenimus?

#### ADDENDA.

Lib. II, cap. 1, 11: «Quippe naturam... statim ad locorum patientiam animalia quoque generasse; sed et arborum ac frugum pro regionum condicione apte genera variata».

Adnota hic, sis, variationem sive inconcinnitatem, quae haud raro apud Iustinum invenitur, quaque fit ut rerum cogitatorumque consociatio mutet, deinde usum verbi «ad», quae praepositio accipienda est eadem significatione atque vi ac paulo post acceptum «pro» vide mus. Intellego enim «ad locorum patientiam», tamquam si ita dicatur: Prout quaeque locorum toleranda erant, ita natura animalia generavit, ut genera arborum ac frugum pro regionum condicione variavit.

Ibid. 2, 14: «Sive inlувies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit». Contextus «inlувies aquarum» longe carus acceptusque est Iustino, siquidem

paulo post, in describindis Athenis, illiusque urbis regibus antiquissimis eadem verba adhibet: «Huius temporibus aquarum inlувies... absumpsit» (1).

MARCUS GALDI.

## AD PACEM

IN BELLICOSA EUROPAE CONFLAGRATIONE

A. MCMXV.

*Alma Pax, quae te retinet remota  
tamdiu tellus? tibi quo feremus  
iam preces nostras, nisi qua latescas  
sede, reveles?*

*Bellico terrae strepitu fugata,  
caelitum num tu placidas ad oras  
forte migrasti, tot acerba visu  
nescia ferre?*

*Mars per immensos furit ecce campos,  
arte qui dira nova cudit arma,  
apta centenas rapido vel ictu  
edere caedes.*

*Terret immanis truce Zeppelinus  
missili; caeli impavidis per amplas  
it plagas pennis, vel acuta belli  
vincere doctis.*

*Cymba, quae sulcat mare, submarina  
rumpit ingentes, licet aere tectas,  
protinus naves, ubi vix gigantem  
nana momordit.*

(1) Confer cum «hominum conluvione» (lib. V, 6, 6) et «conlecta populi conluvie» (II, 6, 4) atque «illa conluvie convenarum» (xxxviii, 7, 1).

*Dira quae tetro vomit ore tela,  
moenium sternit catapulta robur;  
atque ballistae nova vis, vibrantis  
ignea monstra,*

*delet immanes (inhibere structos  
impetus hostis) scopulos et arces...  
terret Europam truculenta tantae  
stragis imago.*

*Gaudium excedit tumidusque fastus  
urbibus; cessant strepitus rotarum;  
munera et frustra iaciunt odorum  
ampla vireta.*

*Iam fragor nigri tacuit camini,  
et nec auditur rigidus rubentis  
ictus incudis; requie dolabra  
stridula gaudet.*

*Plumbeae tantum, necis heu! ministrae,  
increpant glandes, stygiaeque belli  
machinae, nitro tonitruque plena  
exitiali.*

*Anxias sollers recreare mentes,  
exsulat longe gemebunda Musa;  
ars vacat quaevis, nisi quae refracta  
sarciat ossa.*

*Spemque iam nullam pariunt colonis  
pristino campi vidui labore,  
aridos visi generare culmos  
fruge vacantes.*

*O redi tandem, prece mota nostra,  
alma Pax, terris; sileatque dirus  
clangor armorum; sileant procellae,  
auspice Christo!*

Vici, mense Martio MCMXV.

I. FONTS.

## Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.<sup>(1)</sup>

*Si quia Graecorum sunt antiquissima quaeque  
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem  
Scriptores trutina, non est quod multa  
[loquamur.*

*Nil intra est olea, nil extra est in nuce duri.  
Venimus ad summum fortunae, pingimus  
[atque  
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.*

Electissimi adulescentes,

Quod advenisse prolixius narrat Horatius, aetate sua, complures scilicet scriptores plus aequo dictitasse, ad primaevos auctores adeundum esse, illaque modo verba adhibenda, quibus usi sunt viri qui illis temporibus floruerint, et hinc inde magnum argumentorum certamen exarsisse, nos a patribus nostris sua memoria factum esse audivisse fatemur. Iuvabit rem planius exponere. Optime noveritis, post immania Napoleonis bella, quiescentibus rebus in Italia, omnes fere homines, qui ingenio quodam extarent atque studiis, se se ad litteras excolendas alacriores contulisse.

Tunc maximum ingeniorum foetum edidit Italia; in quibus satis erit praeceteris Alexandrum Manzonium memorare, Vincentium Montium, Ugonem Fosculum et Silvium Pellicum. Et haec ipsa quaestio, quae, auctore Horatio, sui temporis hominum mentem torquebat, magnum omnino verborum incendium excitavit, in quo diu multumque, viri praeclarissimi studiorum iudicia praetulerunt. Verum iam per tot saecula Italia in omni doctrinarum genere regina inter recentes populos incedere videbatur, eiusque scriptores ob dicendi puritatem elegantiamque optimo cuique probabantur; ut vel hoc nomine nedum cum omnibus orbis

(1) Cfr. fasc. III, pag. 51 et seqq.

gentibus contendere possit, sed cum ipsis veteribus, qui apud Graecos Romanosque floruerunt. Attamen ex compluribus, qui magno sane studio ingenioque extiterunt, (satis est in medium ferre Antonium Caesari, virum ceteroquin doctissimum) qui, nobilissimis argumentis suffulti, et mira animi fortitudine praediti, praedicabant haud posse Italorum recentem linguam ad veterum amplitudinem atque maiestatem adsurgere, nisi ad ipsos litterarum suarum originis fontes rediissent. Id opportunum, id efficax, id demum nobili natione dignissimum, si cum ceteris populis de litterarum praestantia vellent contendere. Et tunc, inenarrabili omnium cura, vel primissima infantis linguae quisquilia in vulgus adrogantius edere, laudibus ad caelum inferre, maximi quaeque aestimare. Sed de ceteris ad ipsam huiusc saeculi historiam vos mitto; nobis sit alta in mente defixum sapientissimum illud idemque divinissimum: « *nihil sub sole novi!* » et multas renasci quae iam ceciderint quaestiones.

Sed redeundum est ad Horatium.

« *Si quia, etc.* ». Hic est verborum sensus. Quoniam ut ego quoque cum omnibus ultra fateor scripta graecorum antiquissima quaeque, in primis Homeri atque Hesiodi poemata, eadem etiam praestantissima sunt, idcireo scriptores latini simili ratione aestimandi essent, ut priscis primus locus tribuatur. At Romani non sunt iudicandi eodem merito, idest non sunt eadem bilance pensandi. Dicit Horatius: Nos absurde contendere possumus in omnibus rebus, reputantes primas cum Graecis tenere, nullum absque eorum auxilio progressum facere posse; atque adeo non in arte militari, sed iis in artibus, quas Graeci sapientius antea exercuerunt, maior studio atque utilitate etiam nunc exerceri fatebor. Uno verbo, nulla est inter Grae-

cos atque Romanos comparatio in haere potissimum, quae ad primam litterarum aetatem pertinet. Graeci vel ab initio magni admodum extiterunt; nos vero diu multumque in ipsis incunabulis infantes laboravimus. Constat enim inter omnes, serius omnino Romanos litteris incubuisse, et multis post seculis, Graecorum opera, qui Romae ludos publicos aperuissent, ad quos quum itaret Romana iuventus, brevi feroce Romanorum animos liberalioribus disciplinis fuisse emollitos.

Mox quum, Graecia devicta, amoeniorum artium monumenta essent translati, beatores homines coepere signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, iisque non urbanas tantum aedes, sed et villas sumptuosius exornare. Quo factum est, ut Romani pulcri sensui magis in dies adsuescerent, atque ad Graecorum consuetudinem moremque deducerentur. Tunc, ut ait exultans paullo superius poeta: *Venimus ad summum fortunae, pingimus,* [atque

*Psallimus, etc.*

Longe fortasse, nimis longe arguit, velatoque modo *animum* suum obtendit poeta, quum velit innuere certamini, quod de urbanitate cum Atticis arte potissimum carminum contendit. Quid est enim opus Horatii? In Graecis defixus, museum quoddam opus confecit, affabre quidem expolitum, at ex Pariis et Lesbiis lapillis compositum. Suus appetet Horatius in patriis argumentis, et si libero ore proferre minime audet se se praedicare poetam, obscuro tamen velamine dicit: « *Venimus, pingimus, psallimus* ».

Haud aliter, mea quidem sententia, Aligherius noster, quum ceteros honoret, suam nobilitatem aliquando per speciem significare videtur, quum dicit:

*Così ha tolto l' uno all' altro Guido  
La gloria della lingua, e forse è nato  
Chi l' uno e l' altro cacerà di nido.*

Unde quoque illud verissime ab Horatio dictum est:

*Graecia capta ferum victorem cepit, et artes  
Intulit agresti Latio...*

*Graecorum.* — Paullo ante dixerat: *Te Graeis anteferendo...* Quod est disserendum inter utrumque? Optimae notae scriptores in prosa oratione adhibent priorem formam; Graiorum vero paucissimi.

*Trutina.* — Proprie foramen inter quod est lingula seu examen in libra, plerumque pro ipsa libra bilance atque statera. Sic optime dixit Iuvenalis:

*... Inde Maronem  
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.*

*Oliva et nux.* — Similes sunt fructus, quoniam ex utraque oleum trapeto conficitur. Sed pars utriusque dura longe alia est, ac propterea nulla est inter utramque facienda comparatio. Sic quum sermo erit de scriptoribus graecis... Ipsi, vestigiis Homeri nobiliter insistentes, vel a prima aetate ad summam perfectionem atque elegantiam principes pervenerunt; atque eorum linguam vel antiquissimam semper respicere poteris atque exemplo prosequi; latini vero quum tardius omnino ad litteras se contulissent, et prima eorum documenta horrido saepe stylo essent composita, nihil prae se ferunt quod imiteris atque laudare possis. At vix in Urbem Romam non tenuis quidem rivulus e Graecia influxit, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium, Romani eo temporis spatio, quod Syllae et Augusti excessu continetur, ad litterarum famam adsurrexerunt. Quumque hac tempestate elegantissimus fuerit latinae linguae ornatus, et praestantissimi oratores, poetae atque historici praesertim floruerint, factum est, ut aurea romanae litterarum aetas Augusti nomine do-naretur. Hic vos salutatus ad maiora

excitare velim: in hos clarissimos dicendi magistros sapienter opere studioque incumbite, qui ex omnibus undique scriptoribus argumentose quidquid optimum esset in rem suam derivantes *ad summum fortunae extemplo feliciterque pervenerunt*. Ita modo ad aliquam scribendi dignitatem adsurges, puer, sic *metam* cursu contingere poteris, ac propterea: I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas!

(*Ad proximum numerum*).

#### I. B. FRANCESIA.

### Ingenuarum artium specimen

#### ROBIANAE SCULPTURAE.

Lucas, cognomine *Della Robbia*, inter Donatellum et Ghibertium, summos saeculi xv sculptores, ab artis peritis non immerito ponitur, quibuscum insignem illum triumviratum constituit, unde in Italica sculptura veritas purissima item atque maxime amabilis, pulchrumque ex natura serenissimum tunc temporis manavit. At prae ceteris Lucas saeculae artis vindex evasit: apud eum enim ne umbram quidem conceptum religionis dogmatisque christiani turbantem inveneris unquam, ita ut elegantia, candor, gratia, atque exquisitissimus sensus, quae virtutes propriae ei sunt, mirum in modum Angelicum Faesulanum revocent, animumque ad desideria gaudiaque caelestia extollant.

Robianae sculpturae specimina, quae adhuc admiramur, omnia fere ex terra cocta prostant, peculiari illo genere familiae suea a Luca concredo, cui et

perficiendo is etiamtum adclascens totus se dedit, aere atque marmore neglecto, quamquam ex utraque materia non minus celebratas statuas quoque effinxit. Sunt Matris Dei, Mariae scilicet cum pueru Iesu, effigies; sunt Dominicæ re-



praesentationes, sive solae, sive, quasi caelestes visiones, cum sanctorum imaginibus commixtae, aut etiam sepulcris insertae, quorum notissimum illud est faesulani episcopi Benotti Federighi, cuius ad imum candide praefulgent Redemptoris, Beatae Virginis Ioannisque evangelistæ figuræ.

sculi compte habitus facile demonstrant, qua soni vi notas emittant suas, quae reliquis commixtae harmoniam complent, per templum fluitant, in orantis populi animum descendunt.... Denique in tertio ordine bini sunt adulescentes, quarum alter cantum graviter moderatur; sequitur

Sunt denique puerorum actiones innumerae, quas praecipue artificis ingenium videtur agitare maluisse. Quid suavius puerorum illa serie, quibus chorūm Florentinae cathedralis Lucas condecoravit? Exemplum, lectores humanissimi, in hisce paginis videte. Ephebi triplici ordine sunt distributi. In primo, manibus sustinentes librum, pueri duo proferuntur; alter pulera forma, tunicatus, discalceatus, semiaperto ore, oculis ad librum intentis, collo leniter protenso, gutturis rotunditate ostendit quas proferat canoras notas. Gestus vero modusque eius aliquid timoris exprimunt; numne satis versatus in cantu puer est? Comes, ex adverso, expeditior: libro non indigere videtur; capite leniter retro verso, promptior apparet atque etiam comprehensus magis templi maiestate.

In secundo ordine pueri sunt tres, aetate provectiores, cantationis gnari: robusti gulæ muoversantes ac labiorum obversantes ac labiorum demonstrant, qua soni vi notas emittant suas, quae reliquis commixtae harmoniam complent, per templum fluitant, in orantis populi animum descendunt.... Denique in tertio ordine bini sunt adulescentes, quarum alter cantum graviter moderatur; sequitur

alter, ad auxilium paratus, quando opus fuerit.

Neque efficax minus toreuma alterum, in quo quinque ephebi canentes pariter effinguntur. Ob raram perfectiōnem capita commendantur, abundanti capillo eoque cincinnato fere omnia, quasi aureola, coronata; mirabilis cuiusque vultus, oris, oculorum expressio, unde et vocis ipsa contentio emergit. Atque tamen quaevis figura intime insipienti veluti novam creaturam sese præbet, cum pulcritudine sua, cum sua virtute, cum peculiaribus notis, quae a ceteris distinctam faciunt. Quin etiam affirmo poema immensum hinc manare, quod, licet brevibus finibus circumscripsum, in miram magnitudinem devolvitur, ad admiracionem trahens atque in auras supernas cogitationum et affectuum.

X.

dera efferunt nunc *Sport*, quod aiunt, vocabulum ab extera gente desumptum in rem pervulgatissimam significandam, quam patres nostri *solatium* appellare



## COMMUNIA VITÆ

*De Alpium visitatoribus  
qui Alpinistæ nunc vulgo adpellitantur.*

Audistine unquam homines nostros levissimos dictantes de temporis labentis præclaris inventis, de commodis imprimis, adiumentisque optime vivendo? Summis enim laudibus ad si-

consueverunt. Placet nostris repentinis homunculis recens hoc vocabulum; sic res antiqua nostraque, nova nunc nota signata pulcherrima ipsis reddit, horrido tamen adspectu sonituque expressa. Quid dicam? Est servitutis signum! Quid ad ipsos? Dummodo hoc usi vocabulo, insoliti indoctis adpareant ac singulares, ne eos rectius adpellem absurdos ac barbaros. Quidquid recentissime nostra aetas protulit ad animorum corporumque solamen, in globum *Sport* nuncu-

pant. Hoc sibi unice proponunt: ut valetudinem hac arte iuvent, ut meliusculum in posterum corpus eiusque singula membra servent, atque adeo in aevum incolumes vivere possint. Eis est summa curarum ad montes rapidissime adscendere, multis se obiectare periculis, sieque autumant salutem quaerere. Nunc carpere, leviter equidem, iuvabit quos recentissimae notae vocabulo *Alpinistas* vocarunt.

Si huiusmodi viros e more indutos primum adspexeris, optime dixeris eos ad utilia tendere, atque salubria unice quaeritare. Prae manibus baculum ferunt, quem merito adpellares «alpinum», in omnium sane commodum atque notitiam; sed Itali eum haud sermone patrio nuncupabunt, sed potius, more germanico *Alpenstock* dicent. Immo a vertice capitis usque ad imos talos omnia singulaque indumenta et Anglo more nunc, nunc et Gallico signabunt.

Scio equidem, nostra potissimum aetate, complures, non modo animi causa, sed studiorum amore abreptos montes identidem adscendisse, eorum floriferam naturam acutissime investigasse, quam litteris postmodum pervulgatam cum ceteris hunc sacrum naturae ignem communicasse. Longe mens mea est ab istis acerrimi ingenii viris, qui Italorum nomen vel apud exteris gentes hoc eodem titulo nuperim renovarunt; eorumque exemplo Alpes nostrae non iam timoris erunt argumenta, sed studii atque amoris. Ad illos contra verba mea spectant, qui ridiculum in *Alpinismum* revocant atque intelligentium despetum. Hi enim ad valetudinem unice suis verbis spectantes, ad summum rerum sapientiaeque apicem pervenisse autumant, si suo aliorumque etiam periculo ad montium altissimorum cacumina confidentissime fuerint adgressi, ad quae cum tandem studiis omnibus pervene-

rint, salutatoria chartula superbe deposita, in saeculorum admirationem, ut Alexander Magnus domitis Indiis, continuo ad suos ovantes revertunt.

Hoc autem neque ad valetudinem curandam aliquando iuvat, neque ad mores recte corrigendos mea quidem sententia pertinet. Res enim vera longe alia est atque nefanda. Namque saepissime quum *caelo nitidissimus alto, Lucifer ortus erit*, ipsi profici consueverunt; idque peius atque in primis improbandum die festivo, omnibusque neglectis quae ad divinum cultum pertinent, alacres, clamitantes iter arripiunt, quod quidem summus est matribus cruciatus.

Quae quidem moerore confectae suos Deo pie commendant atque ut incolumes ipsi redeant etiam atque etiam precantur! Sciant enim infelices quot audacibus pericula incumbant! Qui sorte a magnis urbibus proficisciuntur uno eodemque die, ne quid incommodi sua negotia patientur, maximo itineris spatio in trahea acta aqua vaporiveha perfecto, ad Alpes pertingere debent, hic illuc cursitare, periculosa cacumina curiose inquirere, et saepe inter nivem, vel inter glaciem, novas tentare vias, idque cui bono? Ut postero die defatigati inter familiares ac notos ad satietatem predicent se se ultimam veluti Thulem attigisse! De re autem cibaria nihil omittunt; quin imo, maxime laudandi, et sportas referunt cumulato pondere... in quibus condita sunt quae ad stomachum reficiendum idemque ad gustum acuendum inserviunt, nec non ad clivos molliendos. Haec summa votorum, hoc maxime in omnium sportulis ingerendum. Et re quidem vera, quid in illa aëris saluberrima altitudine optimilis, quam magnum gallinaceum pullum præ manibus tenere, ova, cadum falerni?... Postero autem die, data longa defatigatis membris quiete, inter

amicos, ut si hostes in acie superassent, magno ore, ceteris admirantibus, rem suam tollere, exaltare ut salubrem, atque in omnium exemplum magnifice propone!

Maiores nostri, ut filios fortes sibi patriaeque alerent qui certos se se vitae periculis obiectarent, et ab hostibus dominum vindicarent, terram eos colere doccebant, sulcos infindere, ulmisque committere vites; brevi, paterna rura bobus exercere suis, id in deliciis habere, nihilque praeterea concupiscere. Hinc egregia illa Romanorum soboles, quae universum orbem armis subegit, suamque artem unicam esse gentes imperio regere.

Et Vergilius, Romanorum maximus poeta idemque veridicus historicus, rem graphicè expressit quum scripsit:

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,  
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit,  
Sicilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.*

Pueri Romani mane ter uncti transnare Tiberim, sudatique inter fluminis fluctus se se immittere atque in contrarium ripam traicere usum habebant. Qui clamor inter ipsos, qui ad natantium strepitus!

*... Et fluvio Tiberinus amaeno  
vorticibus rapidis et multa fulvis arena,*

suos mox victores accipere, sustinere et robustiores reddere.

Recentiores vero longe diversa adgressi sunt, ut patriae decus tueantur, armisque patriam adeptam in libertatem vindicent. Quid? Hoc unum ut, vel in iocis, neglecto patrio, morem insipiente extraneos imitarentur. Namque supremo mentis labore hoc atque illud invehere inter nos coeperunt, quod iam ipsi refutare videntur, putantes se sidera digitis attigisse, ipsamque Deorum sedem, et melioribus usos fatis quam Cyclopes, immortalitatem obtinuisse.

*Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?  
Iam caelum terramque... miscere?*

Haud sum equidem nescius, imo rem facile concedo, optimum esse, si in urbe relictis identidem negotiis ad montes scandere poteris, ibique aliquantis per commodius moratus liberiorem aërem captabis, et pro viribus prudenter altiora loca etiam data occasione transiles... Sed id feceris citra vitae periculum ac maxima prudentia et sub cura periti ducis viarum: tunc et ad montes ascensus sanus erit in columisque atque in primis laudandus, et si tibi res familiaris hoc munus elegans concesserit, omnes mortales superique ambabus manibus, optime si feceris, plausum dabunt.

SUBALPINUS.

## EX BATAVIA

*De certamine poetico Hoeufftiano.*

Accepimus, et libenter edimus:

Idibus Martiis in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXIII carminibus, quae ad tempus iis erant tradita:

Statim reiectum est carmen c. t. *Titus Centurio*, quod vel propter gravissima quibus scatabant vitia metrica vix carminis nomine dignum videbatur.

Neque multo magis placuerunt septem haec: *De virtute bestiae non bestiali*, *Luminis expertes*, *Ad Pacem*, *Automaton*, *Belli vis*, *Primi Iesu amores*, *Bellum*.

Praestabant his quinque, quae tamen post aliquam deliberationem parum digna visa sunt quae legati sumptibus in lucem ederentur: *De caede Serajawensi*, *'Er tovto vixa*, *Curiandum*, *Iudithae*

Oloferne obtruncato Bethuliam redditus, In arcum quendam Augusti semirutum.

Restant decem optima quae libenter publici iuris faciemus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus, ut quo quodque est praestantius, eo posterius nominetur (atque idem et eorum fuit ordo quae supra commemorata sunt): *Anticato, Sophronia, Pacis augurium, Satelles, Aquileia, Superstes sibi, De Margaritis, Planasia, denique duo quorum utri palma esset adiudicanda sententiis iudicium numerandis effici debuit, quorum unus praeferebat carmen c. t. Pueri Ludentes, duo illud quod Μνημόνιον erat inscriptum.* Hoc ergo aureo est ornatum praemio, atque aperta scidula prodiit poetae nomen *Franciscus Xaverius Reuss.* Et carminis c. t. *Satelles* scidula, id quod petiverat poeta, statim est aperta: huius poetam esse apparuit *Antonium Faverzani.*

Reliqua illa octo: *Anticato, Sophronia, Pacis augurium, Aquileia, Superstes sibi, De Margaritis, Planasia, Pueri ludentes* sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emittentur, si eorum poetae nobis ante Kalendas Iunias scidularum aperiendrum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian. anni proximi mittant ad HERMANUM THOMAM KARSTEN, Ordinis literarii Academiae ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulæ obsignatae, quae nomen et domicilium poetæ indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetæ in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt, et si, quemadmodum in editionibus poetarum latinorum fieri

solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae vulcano tradentur.

Amstelodami, kal. Apr. MCMXV.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE  
Ordinis Praeses.

## ANNALES

Przemysl, munitissimae Austrorum arcis, deditio non eos circa **Europaeum bellum** successus adduxit, quos hinc sperabant, illinc timebant. Russi enim, qui summopere conabantur ut offenditionem suam in mediam Hungariam inferrent, etiam post arcem illam captam, finem suum consequi non valuerunt, per Carpathes montes iter ullum quominus sibi aperirent impediti. Ita nunc, potius quam bellum ultra inferre, sese ab hostium incursionibus defendere videntur, copiasque suas in unum colligere. Utrum in ipsis Carpatibus montibus an in Polonia? Res nobis in incerto latet.

At Germani, qui in sociorum auxilium contra Russos magnis itineribus venerant, post retentos sic hostes, ex improviso in Balticas Russiae provincias processerunt, Russieny urbem occupantes et ad ferriviam sic appropinquantes inter Dunaburg oppidum atque Russicum portum Libau. Huius necopinati incursus quod demum fuerit consilium eventus proxime docebunt.

Interim in occidentali belli campo actio vehementer resumpta est, eaque varia fortuna procedit. Dum enim in Vogenesis montibus Galli victoriam ad Ailly reportant, Teutones, frustra obsistentibus Gallis ipsis et Anglis, ad ultimos Belgarum fines progrediuntur; dumque hi Lizerne oppidum, a Gallis ignivomis pilis pessum datum, deserere coguntur, ultra Ypern, ad laevam oram Yserini canalis, castra ponere satagunt, removentque ab urbe Sancti Iuliani Anglos. In Alsatia autem Hartmannsweilerkopf mons alterna vice invaditur.

Iamque si ad mare nos convertamus, post nonnullorum dierum quietem, actionem receptam videmus in Hellesponto, Anglorum Gallorumque hinc inde militum escensione facta. De cuius facti exitu varii et contradicentes nuncii: ex quibus si quis veritatem requisiverit, id fortasse colligere poterit, oras Asiaticas a Gallis relinqui brevi iterum debuisse; Anglos contra, Europa loca occupata tenere ac munire valuisse, a classi sua obtecti, cuius Turcae affirmant torpediniferas naves duas submersas esse tresque naves alias magnis affectas damnis.

At peiora profecto Gallis contigerunt, qui optimam suam cursoriam navem, cui a Leone Gambetta nomen, a subaquea Austrorum lintre destructam in Adriatico mari habuere, cum magna militum caede et ipsius navarchae Feneti. Nautae enim vix centum et triginta, auxilio Italicarum navium non longe excubantum, sospites tantum evaserunt.

Sic terra marique tetterimum hoc bellum producitur, nulla pacis iride adhuc exsurgente; imo nubibus in diem heu! caelum infuscantibus.....

\* \*

**Mexicana civitas** diurno civili bello etiam nunc agitatur, quod imo novos

semper adspectus assumit. Carranza enim, Verae Crucis in urbe, ut diximus, praeses, Villa ducem profligavit; at vi-cissim ab Obregon militum praefecto fusus est. Interea — quis crederet? — Valerianus Huerta ex umbratili vita sua exire, ut aiunt, paratur. Numne post annum integrum in convulsionibus transactum res a calce ad carceres reducetur?

POPULICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Anonymus ille meus Badaiocensis patinarius perfectus proculdubio est; quinimo et vini capacissimus, si non « aliquot ferculorum vinorumque indicum » quos superiore mense Ianuario requirebat, iam contentum se praebet, sed iterum iterumque nunc instat, ut mensarum ordines omnino exquisitos ei comparem. Circa vina praesertim insitit; de quibus hoc unum iis quae iam dixi addere possum; consilium scilicet ut abstineat. Meminerit Anacharsidis, qui dicebat vitem tres botros ferre; primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium molestiae. Sentiens parcum vini usum esse iucundum, qui sedat sitim; largiorem gignere temulentiam; largissimum rixas parere, caedes ac morbos. Simileque huic, vulgi adagium est, primum craterem pertinere ad sitim, alterum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad insaniam. Ad primum igitur sistamus, amice, etiamsi, debiles, ex vini spiritu vires resumere velimus; ne fiat quemadmodum infirmo illi contigit, qui: — Vinum — aiebat — mihi suaserunt quo firmior iterum evaderem; calices siccavi plures, neque cruribus iam amplius insistere possum!

Sed tamen, quum pro viribus satagam ut sociis et lectoribus meis morem,

quoad vires suppeditaverint, geram, curabo ut quo citius ad commentarium redigendum coquus eximius aggregetur cum unico hoc mandato, ut mensarum ordines conquisitissimarum redigat proponendos. Non equidem credo fore ut Badaicensis meus illuc sua desideria provehat, ut singulae fercula comparandi rationes quoque in his paginis exponantur. Tunc enim *Almae Romae* titulus in *Coquinae nuntium* immutandus esset!

\*\*

In omnibus igitur: «Ne quid nimis!» Cui praecepto adhaerens, hodie ad globos consistam, de quibus, a Varrone depromptis, clarissimus I. BONAVENIA, quum notulam meam de artolaganis legisset, superiore mense Martio editam, rogabat numne crederem unum idemque eos esse, ac parvi panis genus frixum, quod vulgo *frittelle* nostris diebus nuncupamus. En Varronis verba (V, 22-79): «Globos sic facito. Caseum cum alica ad eundem modum misceto: inde quantos voles facere facito, in ahenum caldum unguem indito. Singulos aut binos coquito, versatoque crebro duabus rudiibus, coctos exmito, et melle ungito, papaver infriato, ito ponito».

Dicam quod sentio. Id genus... cuperiorum aut quid simile apud Neapolitanorum tunicatum popellum in delicis vidi, quamquam profecto nescio quomodo ab iis vocetur. Sed a frixa illa massa ex subacta farina, cuius ego rationem conficiendi praebui, satis longe distare Varronianii globi mihi videntur; quod si de nomine tantum agendum sit, «globos» non artolagana illa dixerim ad formam parvae spirae accommodata — (*frittelle*); — sed ea potius quae Gallico verbo *bigne* distinguimus, massae genus etiam delicatius. Huic tum rei forma, tum etiam vocis signi-

fatio respondent: non enim aliter *bigne* latine sonat ac «inflatum, tumefactum», atque etiam «tuberculum, verruca». Quid de re vos putatis, doctissimi qui legitis?

\*\*

Atque ad alia procedamus, quorum occasionem dicendi mihi praebuit iter, quod recens in Apuliam feci.

De *solidata charta* dico, deque rebus quae ex ipsa conficiuntur. Gallia quondam in argumento primas tenuit, unde Martin quidam, sandaracha illinitor, circa dimidium saec. XVIII a Lefèvre, artifice celebratissimo, rationem solidanda chartae quum didicisset, eam in Germaniam transtulit adhibuitque conficiendis pyxidibus nicotiana pulvri asservandae eo successu, ut nomen suum ipsis reliquerit. Res per orbem paullatim diffusa est, praesertim ad ornanda domorum fornices ac parietes; Angli solidata charta usi sunt ad tecta contengenda, atque Americani, reperto modo igni invictam hanc materiam reddendi, eadem integras domus fabricarunt. Eorum ad exemplum Berghe, ad Norvegorum urbem, templum exstructum est mille fidelium capax, cuius interiores parietes itemque columnae corinthiae ex solidata charta subsutae sunt; exque ipsa constant tectum, lacunar, statuae, atque externa toreumata.

Uniuntur ita in hisce aedibus res quae ad commercium, ut ita dicam, spectant cum iis quae ad artem et religionem. Atqui ars et religio in Italia potissimum huiusmodi industria aluerunt, imo peculiarem et suam fecerunt, in Apulia praesertim, ubi ipsa industria latissime floruit. Hic, et Lyciae adamussim, maxima inveniuntur statuarum ex solidata charta, sive pictarum sive marmoris similium, officina et emporium, quae artifex egregius ALOISIUS GUACCI recens

condidit omnibusque numeris absolvitum quotidianam operam studiumque insumens inventis de re excolandis atque perficiendis, tum artifices quos optimos inveniret secum colligens, eosque et ipsos operarios ad puleritudinis sensus patienter erudiens. Ita factum est ut Italica statuarum industria ex solidata charta patriae fines templorumque sedem ubi unice — et heu! quam incompte! — concludebatur, praetergressa, iam in suo eodemque excelso loco firmetur.

Experti loquimur, qui, inter multa, vidimus grande insigneque a Guaccio compositum monumentum, fudendum aere, Uruguayanæ civitati Colon destinatum in memoriam pientissimi domini A. Lasagna, qui Christianae Religionis apostolus et vindex in illis regionibus evasit.

\*\*

### Nicolai Campifortis acute dicta.

Hoc titulo socius noster clarissimus Ioannes Bellissima, doctor latinis et graecis litteris tradendis in lyceo Senensi, opusculum vulgavit atque ad nos pro sua humanitate misit. Scilicet specimen conversionis in latinam linguam praebuit novum item atque profecto arduum: res enim erat ne cogitatorum perspicacitas visque nativi sermonis detrimentum ullum paterentur. Utrum interpres rectae viae institerit iudicetis vos, humanissimi qui legitis: verba enim ei circa consueta *iocosa* hodie libenter cedo:

Quum urbs obsideretur, quidam aquae institor per urbem clamitabat se aquam sex nummis vendere. Quum vero, pyroboli causa, altera eius situla fracta esset, institor impavidus: — «Aquam igitur — inquit — duodecim nummis vendo».

Fontinellius moriens quaerentibus quomodo se haberet: — «Ego — inquit — iam non me habeo, sed abeo».

Convivae, qui tacitus exquisita vina potabat, convitator mediocria apponi iussit. Tum conviva magnificare vina coepit, atque convitatori admiranti cur altera vina silentio praeteriisset, cumulasset laudibus altera, respondit se priora minime laudasse, quod tantummodo vina, quae egerent commendatione, laudaret.

Antonius Thomas dicebat se non aequalium, sed posterorum auxilio egere. O rem miram! — «Probe — respondi doctrinae operam navasti, quandoquidem vivos spensis, iisque, qui nondum nati sunt, carere nequis!».

Amicorum tria sunt genera: unum est eorum qui diligunt, alterum eorum qui neglegunt, tertium eorum qui odrunt amicos.

\*\*

### Aenigmata.

I.

*Primo*, lectores, sciscitor.  
*Quaeso*, *secundum* quaerite  
 Inter bruta mitissima.  
*Totum* velox in iuvene,  
 Equis, cervis, leporibus.

II.

Pars anni bis sexta vocor. Mihi littera prima Demitur? Infligit vulnera muero meus.  
 Prima redit, sed abit penultima littera,

[abitque

Ultima? Pars melior tum putor esse tui.

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] vulgo *Rebus*: *Sub i ge in vi diam = Subige invidiam*; 2] *Speculum*.

IOSFOR.

*Librorum recensio.*

*Unità di lingua e pronunzia romana nella lingua latina.* Appunti del can. GIUSEPPE FRAU, Oristano, 1914.

Opusculum quod « *Unità di lingua e pronunzia nella lingua latina* » inscribitur, nuper est confectum a Can. Iosepho Frau, ex Aris- staneo. Initium a primi sermonis rudimentis dicit, deinde agit de latino sermone tamquam lingua communi adhibendo, mox eiusdem pronunciationem attingit, de quantitate syllabarum profert pauca deque accentu, postremum nonnullas grammaticas observa- tiones exponit. Terminatur vero adhortatione facta ut commentarius « *Alma Roma* », cuius vim et consilia nemo est qui ignoret, magis magisque in dies per latiores fines explicitur.

Sunt, ut cuique est perspicuum, adnotatiunculae quaedam, simplices, ex usu et experimentis, ut ita dicam, profectae, atque ab omni ornatu ambitione scientiae remotissimae. Quae quum ita sint, quae auctor exponit, prima specie non sunt pro gravibus ducenda quum omni doctrinæ gravitate et supercilio destituta esse videantur. Nisi quod, sub praceptorum tenuitate, nescio quid honesti et veri latet, quod per se tale est, ut vel brevissimis verbis mentio fieri debeat.

Comovet, imo dixerim, exagitat auctorem spectaculum illud, cuius cottidie spectatores sumus, quo efficitur ut apud omnes excultas nationes latini uniuscumque vocabuli varia sit appellatio: habes enim appellandarum syllabarum rationem gallicam, teutonam, italicam, etc. Quod malum, per se ipsum manifestum, iam summi viri viderunt et sibi id proposuerunt, num una atque eadem latini sermonis appellatio obtineri posset.

Itemque omnibus viribus in illud innixi sunt, et per ephemerides et commentarios

et in coetibus doctissimorum ingeniorum frequentissimis, ut unus sermo, una res et verba exprimendi species usurparetur.

Fuerunt qui mixtum quoddam genus ex variis originibus sive etymis, ab omni quaque lingua depromptis, excogitarent; quae res infelicitate intellecta, infelicius ad irritum cecidit. Alii vero latini sermonis causam, quam strenue et impense defendendam suscep- runt, vel in eorum obiurgationes asserentium invicti non posse nova et rerum abdita latinis verbis reddi, eo consilio tutati sunt ut demonstrarent posse hoc facile fieri.

Res adhuc incerta manet et utrumque pugnatur. Reor enim unquamque gentem suis effingendi res modis nimium attentam et sollicitam esse, atque idcirco difficulter ad alienigenam appellationem flecti: quod est cuiusdam nationis patrimonium ac si- gnum, vix deponi constat. Recte tamen factum erit si, re melius perpensa, nonnulla quaedam male appellata corrigantur.

Estne italica optima pronuntiatio? Ne- gare non possumus quin ea romanae propior sit; sed prorsus fatendum est non eam esse quae Ciceronis aetate in usu versaretur.

Ucumque, nuperrimum hoc can. Frau conamen libenter accipiamus, quod quamquam humili veste se profert, nobile tamen auctoris consilium exhibit et documento est non vocem languescere, sed interdum resonare ad quasdam quaestiones iacentes retractandas, vel potius excitandas, tametsi non omnis ingeniorum voluntas ac sententiae in eas congruant.

M. G.

---

Veneror inventa sapientiae inventoresque; adire etiam illa tamquam multorum haereditatem iuvat; mihi ista acquisita; mihi laborata sunt; sed agamus bonum patrem familiias: faciamus ampliora, quae acceperimus: maior ista haereditas a me ad posteros tran- seat.

SENEC., Epist. LXIV.

**ROMA SACRA****Acta Benedicti XV P. M.**

*Litterae ad Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae Civitatum de vice- simo quinto anno expleto a condita Washingttonensi catholica studiorum Universitate.*

Allatum nuper Nobis est apparari Washingtoniae sollemnia ob feliciter impletum annum a condita catholica studiorum Universitate vicesimumquintum, eaque tum vestra, tum clariorum laicorum praesentia digna plane, uti speratur, futura singulari eventus faustitate. Laetari vos in primis, dilecti Filii Nostri ac venerabiles fratres, hisce secundis Athenaei rebus nemo non iure factum existimat, qui probe neverit vestrae praesertim providentiae deberi almae huius doctrinarum sedis exordia atque incrementa tam laetabilia.

At vero laetitia haec vestra, non adeo est vestrum propria, ut non sit Nobis aliqua ratione communis. Diligimus enim, quin imo, ferimus in oculis Americanum genus, validum iuventa atque agendi cogitandique sollertia nemini secundum: eidemque uti ad omnem humanitatis ascensum apertiores in dies viam patere cupimus, ita non possumus non iucundissime affici iis omnibus, quibus iuvari ad eudem assequendum potest. — At vero non animum doctrina tantum excolendum assidue curae vestrae spectarunt, sed ea in primis caelesti sapientia, cuius lumen inextinguibile est, et quacum omnia bona gregibus vestris ventura perspectum erat. Quae quidem pastoralis sollicitudinis vestrae testimonia nemo sane erit aequus rerum aestimator, qui non commendatissima iudicet dignaque omnino quae cives omnes, maximeque catholici in primisque cleris studiis ac favore prosequantur. Qua sane in re, nolumus Nostras deesse laudes Columbianis Equitibus; qui, attributa Washingtoniae Universitati ingenti pecuniae vi, illud proutusse actuosam eamdemque multiplicem, scilicet subsidio ephemeredum, conventuum, subscriptionum, collectarum et omne genus beneficiorum coepitum; qua caritate excitati fuere quotquot sive ob spectatam civilem

bonis omnibus probatur, ita omnibus, quibus nimirum sit facultas, imitandum aemulandumque proponimus: valdeque velimus ut ipsi vos, dilecti filii Nostri ac venerabiles fratres, Athenaei inserviatis dignitati etiam mittendis alumnis, quorum excellentiores ingenii animique dotes plus quiddam afferunt spei. Praeter ceteras quae inde sperantur utilitates, ea quoque consequetur, quod Americanae Ecclesiae cleris una eademque doctrina ac disciplina informabitur: idque — expertis loquimur — tanti profecto erit, quanti clero uti cuius pietatis fructus vel ipsa auctura est promptior atque arctior conspiratio voluntatum.

Quod quidem assiduis petentes a Deo precibus, caelestium auspicem munera Nostra que testem benevolentiae apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecti filii Nostri ac venerabiles fratres, Rectori, doctribus atque alumnis Washingtoniani Lycei, nec non Columbianis Equitibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XII mens. Martii MCMXV.

*Litterae ad Iacobum Card. Gibbons, Baltimoreensem archiepiscopum de Catholicorum Foederatarum Americae Civitatum sollicitudine erga Mexicanæ nationis incolas, civilibus perturbationibus vexatos.*

Certiores quotidie de iis reddimur, quibus catholicæ praesertim Foederatarum Americae Civitatum, praeante venerabili Episcopatu, votis Nostris obsecundantes, contendunt moorem damnumque mitigare, quibus tot fratres nationis Mexicanæ iam dudum premuntur ob civiles perturbationes regionem illam catholicam devexantes. Illud praesertim seimus caritatem hanc fraternalm patuisse actuosam eamdemque multiplicem, scilicet subsidio ephemeredum, conventuum, subscriptionum, collectarum et omne genus beneficiorum coepitum; qua caritate excitati fuere quotquot sive ob spectatam civilem

conditionem sive censem, sive praecipue animi nobilitatem ingeriique praestantiam, maximi momenti causae suppetias quomodolibet ferre possent. Quo factum est, ut Pastores animarum optime meriti, sacerdotes et utriusque sexus claustrales, patria extores, tuto hospitio humanisque curis iuvari potuerint, et (quod Nobis maxime gratum fuit) in seminarium colligi pauperes ephebi mexicani, in sacerdotii spem educandi. Atque ita manifestari coepit penes omnes in hisce regionibus ille amor, eaque cura et tutela in exules, quae per pulcros inter fastos rei christiana et civilis in America accensebitur. Inter multos qui pio huic operi adlaborarunt, indigitare heic placet, praeter te, dilectum Filium Nostrum, duosque Patres Cardinales, qui eodem, ac tu, magnanimitatis merito praestant, venerabiles Fratres Archiepiscopos Chicagensem et Novae-Aureliae, una cum Episcopis Campifontis, Matanzensi, Toletano, S. Christophori de Habana et S. Antonii iam a Nobis laudato; nec non dilectos filios sac. Franciscum C. Kelley, praesidem *Catholic Church Extension Society* et religiosum virum Recaredum Tierney, S. I., diarii *The America Press* moderatorem. Quibus omnibus ceterisque dum laudis testimonium et incitamentum adiungimus, spes Nobis adridet fore, ut iidem et quotquot exstant penes nos Christi fideles « corde magno et animo volenti » salutare opus efficaciter prosequantur ac foveant, quoisque, quod quantocius eventurum confidimus, civilis ordo et christiana libertas in dilectissima Mexicana republica instaurentur.

Auspicem interim caelestium bonorum nostraeque benevolentiae testem tibi, dilecto filio Nostro, tuaeque archidioecesi universae benedictionem apostolicam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvii mens. Martii MCMXV.

#### Ex Congregatione Consistoriali.

*De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in Episcoporum inscriptionibus et insignibus, vulgo « armis ».*

Apostolica constitutione *Militantis Ecclesiae* die xix mens. Decembbris MDCXLIV data,

Summus Pontifex Innocentius X mandavit ut « omnes S. R. E. Cardinales, ad unitatem et aequalitatem ordinis construendam, iubent e propriis sigillis et insignibus quibuscumque, vulgo *armis* nuncupatis, amoveri coronas, signa ac omnes notas saeculares, praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentia et integritate eorumdem armorum utuntur, et ut in posterum ab illorum usu abstineant ». Ad unam vero eamdemque rationem hac in re etiam quoad Episcopos induendam, SSmus. D. N. Benedictus PP. XV eamdem legem ad eos extendendam opportunum censuit. Quapropter consistoriale decretum edi iussit, die xv mens. Ianuarii MCMXV, quo Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi omnes tam residentialis quam titulares in posterum in suis sigillis et insignibus, seu armis, itemque in edictorum inscriptionibus, titulos nobiliares, coronas, signa aliasque notas saeculares, quae nobilitatem propriae familiae vel gentis ostendant, addere penitus prohibentur, nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit adnexa; aut nisi agatur de ordine equestri S. Ioannis Hierosolymitani aut SSmi. Se-pulchri.

#### Ex Congregatione Indicis.

Per decretum diei xii mens. Aprilis MCMXV damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

CYRILLOS MACAIRE, *La Constitution divine de l'Eglise*. Genève, 1913.

PHILIPP FUNCK, *Von der Kirche des Geistes. Religiöse Essays in Sinne eines modernen Katholizismus*. München, 1913.

ALPHONSE SALTMANN, *Les remèdes divins pour l'âme et le corps*. Paris-Bruxelles, 1912.

PIERRE DE COULEVAIN, *Le roman merveilleux*. Paris, s. a.

Ex eodem decreto innotuit Damianum Avancini et Theodorum Wacker decreto eiusdem S. Congregationis, quo quidam eorum libri prohibiti fuerant, se subiecisse.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

JOSEPHO FORNARI

“ ALMAE ROMAE ., MODERATORI  
EQUITI TORQUATO GREGORIANO RENUNCIATO  
IN COMMENTARIO CONSCRIBENDO ADIUTORES.

Officii esse nostri existimamus, ut tibi, nuper a regnante Pontifice Romano inter Equites Torquatos Ordinis Gregoriani adlecto, quotquot in conscribendo tuo Commentario adiutores subinde tibi sumus, impertitum honorem gratulemur ex animo. Excipe igitur harum gratulationum sinceram hīc laetamque significationem. Nobiscum profecto idem sentient Commentarii lectores, ubi noverint quot et quantis titulis decus hoc promerueris. Septennium est, ex quo terraemotus Siculo-Calaber innumerabiles sub aedium ruinis sepelivit victimas. Milleni tum infantes ac parvuli superstites fuerunt, parentibus orbati omniq[ue] ope destituti. Horum ingentem multitudinem fel. rec. Pius PP. X suis expensis educandos et ad utilem aliquam artem aut professionem instituendos adoptavit, quorum te tutorem atque alterum quasi parentem constituit. Quod quidem munus tu libenti animo suscepisti, paternos omnino sensus induens et patris nomine a pupillis insignitus. Nullis autem pepercisti laboribus, nullis itinerum etiam longinquorum incommodis, ut eos apte collocares, frequenter inviseres ac Pontificia ope et benedictione recreares. Quum vero ad meliorem vitam Pius X migrasset, idem tibi tutoris officium delegatum fuit ac confirmatum ab hodierno Pontifice Benedicto XV, qui praeterea novos tibi concredidit pupilos, e recenti terraemotu Marsicano superstites. Simul autem dignum tuis praeclaris meritis praemium addidit, quum, Equitem iam te Gregorianum, sua sponte et proprio, ut aiunt, motu, torquis auxit decore.

Fruere igitur novo et insigni, quo honestatus es, honore plurimos in annos, et ad seram usque senectam; sitque merces haec temporalis praelibatio ae-